

cum si conferuntur illa, quæ de *origine parochiarum* dicta sunt, & adhuc in sequentibus dicentur, apparebit, illam ad praxin valde esse accommodatam.

Quid intelligi debeat per personas ecclesiasticas.

§. III. Illud vnicum saltem moneo, me *parochos* ideo nominasse *personas ecclesiasticas*, ut stylo consueto me accommodarem. Quamvis enim non ignotum mihi sit, *personas ecclesiasticas* plerumque opponi *secularibus*, & ita quoque germanice inter se distingui *Geistliche* & *Weltliche*, indeque fere ortum sit, ut pietas & omnia eius exercitia ad solos clericos sit reiecta, mundo secularibus personis relicto; hoc tamen in sensu minime hanc vocem hic intelligendam esse volo. Etenim hoc sensu distinctio ipsa est friuola & spernenda, cum potius omnes ea ratione debeamus esse *ecclesiastici*, *Geistliche*. *Seculares* & *mundani* de hoc mundo sunt, & ita regnum Dei non videbunt. Dicamus ergo, parochos dici κατ' ἐξοχὴν *ecclesiasticos*, quia certæ alicui ecclesiæ seu templo inferuiunt, eique tanquam glebæ adscripti sunt, ibi iura sua exercent, & regimine suo (loquar ex praxi communi) omnia in illa parochia complectuntur; generali enim in sensu etiam *parochiani* dici possunt *ecclesiastici*, quatenus sunt membra ecclesiæ, quamvis communi loquendi sensu ita non dicantur. Ratio eius sine dubio est, quia ab antiquissimis iam temporibus *ecclesia* in solis clericis posita est, indeque inualuit, ut ipsi soli *ecclesiastici* dicerentur, qua metamorphosi nec in nostris abstinemus ecclesiis.

Legitima vocatio quid?

Vnde sit diuina.

Parochus se non debet ingerere.

§. IV. Feci præterea mentionem in definitione parochorum *legitimæ vocationis*, oppositæ ei, quæ *illegitimis modis* extorqueri solet. Plerique ad *legitimam vocationem* requirunt, ut sit *diuina*. Hactenus bene. Sed vnde iudicari possit, an sit *diuina*, nec ne, in hypothesi? non caret difficultate. Plerumque externa illa vocatio simul diuina esse censetur, ita ut si modo parochi literas suæ vocationis in publicum ostendere possint, se sufficiens testimonium habere putent de diuina vocatione. Sæpius vero quæstio cum Christo institui possit? Τὴν ὁμοίαν, ἢ ἡ ἐπιγραφή; Apud plurimos prætextus inferuiendi Deo pro vera causa ventilatur, cum, si larua vocato detrahatur, vel cupiditas lucrandi vel ambitio vocatum traxerit, ut mediante patronorum, quos hactenus sibi acquisiuit, auxilio & gratia magis obtrusus sit populo, quam legitime vocatus. Et certe rarissime in praxi obseruari videmus monitum imperatorum in *l. si quenquam 31. C. de episcop. & cler.* ubi ita! *Tantum ab ambitu debet esse sepositus, ut queratur cogendus, rogatus recedat, inuitatus effu-*

effu-